ORDO

CEREMONIARUM, ET

BENEDICTIONUM, Qui

servatis in impositione Habitus,

atque emittenda sacra Professione,

IN MONASTERIO

S. MICHAELIS

De Spilimbergo,

juxta Regulâ

S. BENEDICTI.

ORDO

CÆREMONIARUM, ET

BENEDICTIONUM, Quæ

ſervantur in impoſitione Habitûs,
atque emittenda ſacra Profeſſione,
IN MONASTERIO

S. MICHAELIS

De Spilimbergo,
juxta Regulã

S. BENEDICTI.

ABbatiſsa, & cęterę Moniales proceſsionaliter conveniunt ad Ecclesiam interiorem cantando hanc Sequentiam.

Veni ſancte Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuę radium &c.

Sacerdos cum Miniſtris procedit, & aſcendit Altare in cornu Epiſtolæ, & benedicit Veſtimẽta, & Lilium, cantando:

℣ Oſtende nobis, Domine &c.

℟ Et ſalutare tuũ da nobis.

℣ Dñe exaudi orationem meam.

℟ Et clamor meus ad te veniat.

℣ Dominus vobiſcum.

℟ Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESU Chriſte, qui tegumen noſtrę mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immensa' largitatis tuę, abundantia', ut hoc genus Veſtimentoru', quod ſancti Patres ad innocentię & ſanctitatis indicium abrenuntiantes ſęculo ferre ſanxerunt: ita Tu benedicere ✠, & ſanctificare ✠ digneris, ut poſtqua' hęc famula tua ſe eo induerit, Te induere mereatur. Qui vivis, & regnas in ſecula ſęculoru'. Amen

Oremus.

DOmine Deus bonaru' virtutum dator, omniumque benedictionu' largus infusor, Te ſubnixis precibus deprecamur, ut has Veſtes, quas famula tua pro indicio cognoſcendę Religionis induere vult; ſic benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, ut inter reliquas Ancillas tuas cognoſcatur Tibi eſſe dicata. Per Chriſtu' Dñu' noſtru'. Amen.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui magna ſolus mirabilia facis, tuam ſupplices imploramus clementia', ut per merita Immaculatę ſemper Virginis Marię Genitricis Dñi noſtri JESU Chriſti ſuper hunc Lilij florem, quem iſta famula tua in ſignu' ſervandę caſtitatis de manibus noſtris ſuscipere cupit, benedictionis ✠ tuę gratiam infundere digneris, quatenus in Habitu ſuscepto virginitatem ſinceram continuò ſervans, ita ejus cor, & corpus reflorcant vigore pudicitię, & caſtitatis, ut ejuſdem JESU Chriſti Filij tui bonus odor in omni loco eſſe mereatur. Qui

cu' eodem Filio tuo, & Spiritu ſancto vivis, & regnas in ſęcula ſęculoru'. Amen.

Aſpergantur Veſtes, & Lilium, aquâ benedictâ, & incenſentur more ſolito. Deinde vadit ad Feneſtrellam Eccleſię exterioris, & vocat Puellam dicens.

VEni Sponſa Chriſti.

Novitia reſpondet:

Ecce venio.

Sacerdos denuò:

VEni Sponſa Chriſti, accipe coronà, quam tibi Dominus pręparavit in ęternum.

Novitia reſpondet:

ECce venio ad Te, Dne JESU Chriſte, quem amavi, quem queſivi, que' ſemper optavi. Suſcipe me igitur ſecundu' eloquiu' tuu', & non confundas me ab expectatione mea.

Sacerdos dicit Puellę:

INgredere filia dilectiſſima in ſancta' Eccleſia' Dei, ut in eâde' reddas Dno Deo laudem, gloria', & honore', & accipias benedictione' a' Dno JESU Chriſto, Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſęcula ſęculorum. Amen.

Novitia dicat:

ECce Domine, JESU Chriſte, quod nunc toto corde ſequor Te, timeo Te, & videre quęro faciem tuam: non igitur confundas me Dne, ſed ſecundu' multitudine' miſericordię tuę dona mihi gratiam obędiendi ſemper mandatis, & vocationibus tuis.

Novitia genuflectit, & Sacerdos intonat:

VEni Creator Spiritus, &c.

Cantores proſequuntur uſque ad finem: deinde Sacerdos cantat quę ſequuntur:

℣. Emitte Spiritu' tuu', & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrę.

℣. Adducentur Regi Virgines poſt eam.

℟. Et proximę ejus afferentur tibi in lętitia, & exultatione.

℣. Domine exaudi orationem mea'.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & que' nullu' latet ſecretu', purifica per infuſione' ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut Te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur. Per Chriſtu' Dnum noſtrum. Amen.

O remus

COncede, quęsumus, omnipotens Deus, ut exempla Sanctorum Benedicti, Placidi, Mauri, & Scolasticę, Sanctorumq; Monacorum omnium Martyrum, & Confessorum, provocent nos ad melioris vitę institutum, quatenus quorum memoriam agimus, etiam actus imitemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O remus.

DEus, qui à sęculi vanitate conversos ad bravium supernę vocationis accendis, & qui renunciantibus sęculo mansiones paras in Cœlo; dilata cor famulę tuę cœlestibus donis, ut conjuncta sincerâ unanimis charitatis compàge cum Sororibus suis regularia instituta custodiat, sobriam, simplicem, & quietam communionem conservet, atque suę vocationis gratiam gratis sibi fuisse datam cognoscat; sitque ejus vita semper perfecta. Per Christum Dnum nostrum. Amen.

Novitia surgit, & dicit:

REnuntio omni curę hujus mundi, omniq; ornamento, et pompis ejus, propter amorem Dñi JESU Christi, in quem credo, quem semper dilexi. JESUS dulce do cordium, fons verus, lumen mentium, excedit omne gaudium, & omne desiderium. O beatum incendium, o dulce refrigerium amoris Dei! Sis igitur, o bone JESU, meum gaudium qui futurus es meum pręmium. Sit mea in Te gloria per cuncta semper sęcula. Amen.

Abbatissa exuit Novitiã vestimentis sæcularibus: & Sacerdos dicit:

EXuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, & renovet te spiritus mentis tuę Amen. Abbatissa incidit Novitiæ capillos: & Sacerdos dicit:

TU es Deus, qui restitues hęreditatem meam mihi.

Chorus intereà cantat Psalmũ Conserva me Domine &c. & in fine repetat: Tu es Deus, qui restitues &c. Novitia dicat:

DOminus pars hęreditatis meę, & calicis mei; Tu es, qui restitues hęreditatem meam mihi.

Novitia post tonsionẽ crinium genuflectat: & Sacerdos cantat hos ℣.℣.

℣. OStende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus Fratres charissimi, Dnum nostrum JESUM Christum pro hac famula, quę pro ejus amore festinat deponere comam capitis sui; ut ei donet Spiritum sanctum, qui in habitu Religionis illam perpetuo custodiat, & a mundi impedimentis, ac sęcularibus desideriis cor ejus defendat; & sicut mutatur in vultu, ita manus ejus dextera tribuat illi incrementa virtutum, & ab omni cęcitate spirituali ejus oculos aperiat, eique ęternę gratię lumen infundat, Qui vivit, & regnat in sęcula sęculorum. Amen.

Oremus.

Presta quęsumus omnipotens Deus, ut hęc famula tua, cujus comam capitis hodie pro divino amore deposuimus in tua dilectione semper maneat, & in tua gratia perpetuo sine macula perseveret. Per Christum Dnum nostrum. Amen.

Oremus.

Adesto Dne supplicationibus nostris, ut hanc famulam tuam, cui in tuo sancto nomine habitum Religionis imponere decernimus, benedicere ✠, & sanctificare ✠ digneris, ut Te largiente, & devote in ea persistere, & vitam percipere mereatur ęternam. Per Christum Dnum nostrum. Amen.

Ad impositionem Tunicæ Sacerdos dicit:

Veni Sponsa Christi, accipe Tunicam istam in signum pœnitentię, & mortificationis, ut mortua mundo Deo vivas, in nomine Patris ✠, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Induat te Dominus novam creaturam, quę secundum Deum creata est in justitia, ac sanctitate veritatis, in Christo JESU Domino nostro. Amen.

Ad Scapulare.

Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, & onus leve.

Novitia dicat:

Domine, Domine virtus salutis męę, obumbrasti caput meum in die belli. Ne tradas me, Dne, à desiderio meo peccatori.

Ad Velum.

Virgo chartam suę Professionis subscribat, vel, si
nesciat scribere, signo Crucis signet, et illam
tradat Abbatisse, a qua consignetur seniori monialı
ut servetur in Archivio Monasterii; postea dicat:

Suscipe mę Domine, secundum eloquium
tuum, et vivam, et non confundas mę ab
expectatione mea.

Volendo il S. Padre Benedetto, che la Novitia lo reciti,
e che la Communità lo ripetta trè volte.

Inde Sacerdos dicat:

Confirma hoc Deus &c. ut in Ordine Ceremoniarum.

ACcipe Velamen ſacru', quod perferas ante Tribunal Judicis ęterni, cui flectitur omne genu cœleſtiu', terreſtriu', & infernoru', quo cogноſcaris, mundum contempſiſſe, & veraciter humiliterque toto cordis affectu te Sponſam Chriſto perpetualiter ſubdidiſſe. Per Chriſtu' Dominu' noſtrum. Amen.

Ad Coronam.

ACcipe Coronam capiti tuo in ſignum, quòd ſi in ſancto propoſito permanſeris, immortalitatis gloriâ coronaberis. Per Chriſtum Dnu' noſtrum. Amen.

Novitia cãtat hos verſus

GAudens gaudebo in Dno, & exultavit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimento ſalutis, & indumento lętitię circumdedit me.

Ad impoſitionẽ Nominis.

ACcipe Soror nomen novum, quod os Domini loquutu' eſt. Tu vocaberis N.

Novitia reſpondet:

BEnedictus Dnus Deus meus, qui hodie vocavit me, & recordatus eſt nominis mei.

Sacerdos dicat cantando:

℣. NOmine ęterno hęreditavit illa.
℟. Dominus Deus noſter.

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui puero tuo Abrahę dixiſti: Non ultra vocaberis Abram, ſed Abraham; quique ſancto Patriarchę Jacob Iſrael nomen indidiſti, concede, ut ſicut hęc famula tua mutatur hodie non ſolu' in veſtimentis, ſed etiam ipſo in nomine: ita omninò renovetur in corde ad ſervien-du' in novitate Spiritûs Filio tuo Domino noſtro JESU Chriſto, qui tecu' vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſęcula ſęculorum. Amen.

Sacerdos ſedeat, & ad Novitiam dicat:

VEni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex ſpeciem tuam.
Dominus cuſtodiat introitu' tuum, & exitum tuum, In nomine Patris ✠ & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Sacerdos in traditione Regulæ Novitiæ dicat:

ACcipe Virgo Regulam Societatis S. Patris Benedicti, & eſto illi fidelis uſque ad mortem: quęcumq; enim hanc Regula' ſequutę fuerint, Pax ſuper illas, & Be-

nedictio ✠ Dei.

In traditione Lilij.

ACcipe filia signum Virginitatis, & esto inter mundi illecebras immaculata, sicut Lilium inter spinas, In nomine Patris ✠ & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Deinde cantando dicat:

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam.

℟. Et proximę ejus adducentur Tibi.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus misericors, Deus clemens, Deus, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur, adsint, quęsumus, nostris humilibus precibus aures tuę pietatis, & hanc famulam tuam, cui in tuo sancto nomine sacrę Religionis Habitum imposuimus, à mundi impedimento, & à sęculi desiderio defende, eamq; in hoc sancto proposito devotè persistere concede; ut per Spiritus sancti gratiam Te verum lumen agnoscat, & remissione peccatorum perceptâ, ad Electorum tuorum valeat pervenire consortium. Per Dñum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spũs sancti Deus, per omnia sęcula sęculorum. Amen.

Sacerdos aspergat Novitiam, cęteraslque Moniales, Aquâ benedictâ, & dicat:

BEnedicat ✠ vos Dominus, & custodiat vos. Ostendat faciem suam vobis, & misereatur vestri. Convertat vultum suum ad vos, & det vobis pacem hic, & in ętternum.

His expletis, Sacerdos accepto Manipulo, & Planetâ, cantet Missam. Communicet more solito primò Novitiam, deinde Moniales, si sint paratæ. Perficiat posteà Missam: exuat Planetam, & Manipulũ, & induat Pluviale; stansque post gradus Altaris, ibique genuflexus cantando íntonat hymnum Te Deum laudamus. quem Chorus prosequitur usque ad finem. Posteà Sacerdos dicat:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda Fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum &c. in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

PRætende, Dne, Famulabus tuis dexteram cælestis auxilij, ut te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, consequi mereantur. Per Christum Dnm nostrum. Amen.

ORDO

EMITTENDÆ, ET RECIPIENDÆ IBIDEM PROFESSIONIS.

ABbatissa, & Moniales conveniunt processionaliter ad locum Communionis cantantes Hymnum. Jesu corona Virginum.

Interim Sacerdos paratus cum Pluviali accedit ad Altare cum Ministris pro Missa celebranda de die cū collecta pro Virginibus, ubi benedicit Annulum, Coronam, Lilium, & Cingulum dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nōe Dñi.
℟. Qui fecit Cælum, & terram.
℣. Dne exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

(Et primò benedicit Tunicam)

Oremus.

DOmine JESU Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus Vestimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiæ, & sanctitatis indicium abrenunciantes sæculo ferre sanxerunt; ita Tu benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris, ut postquam hæc famula tua se eo induerit, Te induere mereatur, Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

DOmine Deus bonarum virtutum dator, omniumq; benedictionum largus infusor, Te subnixis precib.

deprecamur, ut has Veſtes, quas famula tua pro inditio cognoſcendę Religionis induere vult, ſic benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, ut inter reliquas Ancillas tuas cognoſcatur Tibi eſſe dicata. Per Chriſtum Dnm̃ noſtrum. Amen.

Ad benedictionē Annuli.

Oremus.

CReator, & conſervator humani generis, dator gratię ſpiritualis, & largitor humanę ſalutis; Tu Dne emitte benedictionem ✠ tuam ſuper hunc Annulum, ut quę eum geſtaverit, cęleſti virtute munita fidem integram, fidelitatemque ſinceram jugiter teneat. Per Chriſtum Dnm̃ noſtrum. Amen.

Ad benedictionē Coronę.

Oremus.

BEnedic ✠, Dne, Coronam iſtam, & preſta per invocationē ſancti nominis tui, ut quę ea portaverit in terris, ęternam gloriam in Cęlis percipere mereatur. Qui vivis, & regnas in ſęcula ſęculorum. Amen.

Ad benedictionē Lilij.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui magna ſolus efficis, tuam ſupplices imploramus clementiam, ut per merita immaculatę ſemper Virginis Marię ſuper hunc Lilij florem, quem iſta famula tua in ſignum ſervandę caſtitatis de manibus noſtris ſuſcipere cupit, benedictionis ✠ tuę gratiam infundere digneris, Qui vivis, & regnas in ſęcula ſęculorum. Amen.

Ad benedictionē Cinguli.

Oremus.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuę miſericordiam quęrentibus veniam, & clementiam tuam tribuiſti, quęſumus, ut hoc Cingulum benedicere ✠, & ſanctificare ✠ digneris. Per Chriſtum Dnm̃ noſtrum. Amen.

Deinde Sacerdos omnia aquâ benedictâ aſpergit, & incenſat, more ſolito, & poſteà depoſito Pluviali, & acceptâ Planetâ, & Manipulo, incipit Miſſam uſque ad Graduale incluſivè, quo dicto, accedit ad feneſtrellā Communionis cum Miniſtris, & dicit: Veni Sponſa Chriſti. Et Virgo veniens aliquantulùm dicit: Et nunc ſequor. & genua flectit.

Tunc Sacerdos ſecundò vocat Veni Sponſa Chriſti. Et Virgo ſurgens, & aliquantulũ veniens dicit: Et nunc ſequor. Et iterũ genuflectit.

Tertiò Sacerdos dicit: *Veni filia, audi me, timorem Domini docebo te.* Et Virgo ſurgens dicit: *Et nunc ſequor te in toto corde, & timeo te, & quæro videre faciem tuam Dñe; ne confundas me, ſed fac mihi juxta manſuetudinem tuam, & ſecũdum multitudinem miſericordiæ tuæ.*

Et ſtatim Novitia proſternit ſe, & cooperitur pallio, & Sacerdos genuflectit, & intonat Hymnũ. *Veni Creator &c.* Quo dicto, Sacerdos ſurgit, & dicit ℣.

℣. *Emitte ſpiritum tuum, et creabũntur.*
℟. *Et renovabis faciem terræ.*

Oremus.

DEus miſericors, Deus clemens, Deus, cui cuncta bona placent, ſine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur; adſint noſtris humilibus precibus tuæ pietatis aures, & hanc famulam tuam, cui in tuo ſancto nomine ſacræ Religionis habitum impoſuimus, à mundi impedimento, & ſæculi deſiderio defende, & eam in hoc ſancto propoſito devotè perſiſtere concede, ut per Spiritûs ſancti gratiam Te verum lumen agnoſcat, & remiſſione peccatorum percepta, ad electorum tuorum valeat pervenire conſortium. Per Dñm noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et ſtatim Sacerdos genuflectit; & duo Sacerdotes, ſeu Cantores, intonant Litanias, & proſequuntur uſque ad ℣. *Ut Regibus, & Principibus &c.* Quo dicto, Sacerdos ſurgit, & dicit:

℣. *Ut præſentem Ancillam tuam benedicere ✠ digneris,*
℟. *Te rogamus audi nos.*

Et repetit:

℣. *Ut præſentem Ancillam tuam benedicere, & ſanctificare ✠ digneris,*
℟. *Te rogamus audi nos.*

Et ſtatim Sacerdos genuflectit, & Sacerdotes, ſeu Cantores, proſequuntur Litanias uſq; ad finem: & Sacerdos dicit ſequentes preces.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationẽ
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Domine exaudi orationẽ meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cũ ſpiritu tuo.

Oremus.

RE ſpice quæſumus, Dne, propitius ſuper hanc famulã tuã, ut ſanctæ Virginitatis propoſitum, quod Te inſpirante ſuſcepit, Te protegente illæſum cuſtodiat. Per Chriſtũ Dominũ noſtrũ. Amen.

Poſteà ſublato Pallio Virgo ſurgit, ſed remaneat genuflexa, & emittit Profeſſionem quæ erit:

In nomine Domini JESU Chriſti. Anno ab ejus Nativitate M. N. Die N. Menſis N. Ego Soror N. N. promitto, & ſolemniter voveo omnipotenti Deo, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, omnibus Sanctis, de quorũ Reliquijs hìc in Eccleſia Sancti Michaelis de Spilimbergo partes requieſcunt; nec non Dño reverendiſſimo Vicario Generali Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. Epiſcopi Concordienſis Superioris noſtri, Venerabilique Dominæ NN Abbatiſſæ hujus Monaſterij, ejuſque Succeſſoribus canonicè intrantibus, ſtabilitatem meam, & converſionem morum meorum, & ſervare perpetuam obœdientiam, paupertatem, & caſtitatem, juxtà ea, quæ in Regula Beatiſſimi Patris noſtri Benedicti continentur.

Virgo chartam ſuæ Profeſſionis ſubſcribat, vel, ſi neſciat ſcribere, ſigno Crucis ſignet, & illam tradat Abbatiſſæ, à qua conſignetur ſeniori Moniali, ut ſervetur in Archivio Monaſterij; & Sacerdos dicat:

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis,
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
℣. Gloria Patri, & Filio, &c.
℟. Sicut erat in principio, &c.
℣. Domine exaudi orationẽ meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cũ ſpiritu tuo.

Oremus.

DOmine JESU Christe Fili Dei vivi, qui tuis Discipulis asse-ruisti, ut quicumq; vult ad Te venire abneget se ipsu', & tuam cruce' tollens Te sequatur; quę-sumus clementia' tua', ut hanc Ancilla', quę juxta verbu' tuum se ipsam abnegare, suamq; crucem tollere, & Te sequi voluit, hanc sanctę Religionis professione' sponte emisit, benedicendo benedicas ✠, & semper, ac ubiq;ue protegas, à periculis omnibus eruas, & vinculis peccatoru' absolvas; dies & actus ejus in tua pace disponas, ac prospera cuncta concedas, & inter presentes turbines tuo sem-per munere gubernetur: Qui cu' eode' Deo Patre, & Spu' sancto vivis & regnas in sęcula sęculoru' Amen.

Sacerdos sedet, & Professam vocat dicendo:

VEni Sponsa Christi, & accipe Cingulu' in signu' temperantię & castitatis, ut sint lumbi tui prę-cincti: In nomine Patris ✠, & Filij, & Amen.

Professa respondet:

PRęcingat me Deus cingulo puritatis, ut maneat in me virtus continentię, & castitatis.

Sacerdos tradit Scapulare

ACcipe jugu' Dni: jugu' enim ejus suave est, & onus leve.

Professa respondet:

DOmine, Dne virtus salutis meę, obumbrasti caput meu' in die belli. Ne tradas me à desiderio meo peccatori.

Sacerdos tradit Tunicam.

ACcipe Tunicam ista' in signu' pœnitentię, & mortificationis, ut mortua mundo Deo vivas; In nomine Patris ✠, & Filij, &c. Amen. Induat te Dnus nova' creaturam, quę secundu' Deu' creata est in justitia, ac sanctitate veritatis, in Christo JESU Dno nostro Amen.

Sacerdos tradit Velum.

ACcipe Velamen sacru', quod perferas ante tribunal Judicis ęterni, cui flectitur omne genu cœlestriu', terrestriu', & infernoru', quo cognoscaris mundu' contempsisse, & veraciter, humiliterq;ue, toto cordis affectu, te spōsam Christo perpetualiter subdidisse. Per eunde' Christu' &c. Amen.

Sacerdos imponit Annulum Professæ dicens:

DEsponso te JESU Christo Filio summi Patris, qui te illęsam custodiat. Accipe ergo Annulum Fidei, Signaculum

Spei, ut Sponſa Dei voceris, & ſi fideliter ei ſervieris, in perpetuum coronaberis. In nomine Patris ✠, & Filij, & Spiritûs ſancti. Amen.

Deinde Sacerdos tradit in manu dextera Profeſſæ Lumen accenſum, dicens:

QUaſi lux ſplendens præcedat ſemitas tuas, & creſcat uſque ad perfectam diem.

Tradit in manu ſiniſtra Lilium, & dicit:

SIcut liliũ inter ſpinas, ſic amica eſto Chriſti inter filias.

Sacerdos tradit Breviariũ.

ACcipe Librum, & ſignũ orationũ, quo ſeptiès in die laudem dicas Deo Creatori tuo; ac ſemper cupias diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. In nomine Patris ✠, & Filij, & Spûs ſancti. Amen.

Profeſſa reſpondet:

BEnedicã Domino in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo.

Sacerdos tradit Regulam.

ACcipe Regulã Sancti Patris noſtri Benedicti, ſub quate oportet . . . . & conſtanter militare, & ut voviſti, ea obſervare. In nomine Patris ✠, & Filij, & Spirit. ſancti. Amen.

Profeſſa reſpondet:

VTinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendã Regulã Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, quam perfectè obſervare deſidero.

Chorus reſpond. *Amen.*

Sacerdos imponit Coronã, dicens:

QUaſi Sponſam décoret te coronâ Dominus.

Profeſſa reſpondet:

IPſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt; cujus pulcritudinẽ Sol, & Luna mirantur. Ipſi ſoli ſervo fidem: ipſi me tota devotione committo.

Sacerdos deinde dicit:

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

TE invocamus, Domine, ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, ſuper hanc famulã tuã, quæ

Tibi vovit pura mente, mundóque corde ſervire, & quam hodie insignibus Sponſarum tuarum decoravimus, eam ſociare digneris inter illos centum quadraginta quatuor millia qui Virgines permanſerunt, & ſe cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore ſicut dolus non eſt inventus; ita etiam hanc famulam tuam facias permanere immaculatam uſque ad finem, Qui vivis, & regnas in ſęcula ſęculorum. Amen.

Quibus peractis, Sacerdos vadit ad Altare, & proſequitur Miſſam uſque ad ſumptionem calicis inclusivè; & poſteà cum Sacramento vadit ad Feneſtrellam, & communicet Profeſſam. Deinde vadit ad Altare, & proſequit, Miſſam uſque ad finem: qua completâ, ac depoſitâ planetâ cum manipulo, accipit Pluviale: genuflectit ante Altare cum miniſtris, & intonat *Te Deum laudamus, &c.* quem Chorus proſequitur uſq; ad finem. Quo peracto, Sacerdos ſurgit, & dicit:

℣. Oſtende nobis, Dñe, miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui Beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum abſtractum à mundi turbinibus Tibi ſoli militare juſſiſti; quęſumus clementiam tuam, ut ipſius, & omnium Sanctorum tuorum intercęſſione placatus clementer ſuper hanc famulam tuam reſpicere digneris, ut cor ejus à ſęculi vanitatibus avertas, & ad ſupernum vocationis amorem accendas, gratiam inqua perſeveret, infundas, ut protectionis tuę munita præſidio, quod Te donante promiſit, adimplere mereatur. Per Chriſtum Dñum noſtrum. Amen.

Deinde Sacerdos dat benedictionem Profeſſæ, & Monialibus, dicens:

VIrtus perſeverantię, & Pax

Dei Patris omnipotentis, e-
jusque Filij Domini nostri
JESU Christi, & Spiritus san-
cti, descendat super vos, &
maneat semper. Amen.

875432
D60c 3024

C2940
AM/BQ